

SCRIPTA

Numéro Scripta : 868

Auteur(s) : Robert de Fontenay [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1165-1205]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert de Fontenay concède, en perpétuelle aumône, au chapitre de Bayeux la dîme des anguilles de sa pêcherie d'Arundel, la dîme de l'ail de toute sa terre d'Isigny, et plusieurs autres dîmes dans cette dernière localité.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LXXVII, t. 1, p. 98-100.

Dissertation critique

Épiscopopat d'Henri II, 1165-1205.

Texte établi d'après a

Noverint omnes, tam præsentes quam futuri, quod Robertus de Fontaneio, miles, concessit et dedit in perpetuam elemosinam capitulo Baiocensi decimam anguillarum piscariae suæ de Arundel, et decimam alliorum tocius terræ suæ intra limites parrochiæ de Isigneio consistentis, et decimam omnium fructuum ex eadem terra quocumque modo provenientium, et decimam tocius terræ quam habet in parrochia de Iseigneio, sive eam terram in manu sua habebat, sive alijs eam de eo tenebat, et decimam carpartorum suorum. Si autem idem Robertus terram quæ nunc reddit ei carpartum vendiderit, vel donaverit, vel alio modo alienaverit, aut æam (sic) in dominio suo retinens ad immunitatem reduxerit et plenam libertatem, jus ecclesiæ Baiocensis salvum in præfata decima conservabit, ita quod propter talem alienationem aut quamlibet aliam mutationem capitulum Baiocense non minus prædictam decimam in integrum perciperet. Et ut super hoc facto omnis amoveatur dubitatio, vobis notum sit quod barba (sic) illa, quæ primo nonam garbam sequitur, dicto capitulo tanquam decima reddetur ; undecima vero, quæ campartum dicitur, decimabitur, et decimam illam habebit capitulum. Hoc enim dictant jus et ratio, et præfatus Robertus ad hoc assensum præbuit et favorem. In hunc autem modum convenit inter capitulum et eundem Robertum, quod capitulum ei concessit, coram domino, Baiocensi episcopo, Henrico, id gratum et ratum habente, officium divinum in capella sua tribus diebus in ebdomada a presbitero parochiali de Iseigneio celebrari, die scilicet dominica, et die lunæ, et die sabbati. Si vero idem presbiter, aliqua de causa, in præfata capella ministrare nequiverit vel noluerit, licebit memorato Roberto defectum dicti presbiteri per quem potuerit alium sine residentia supplere ; et si quem militem hospitium ejusdem Roberti subire contigerit, qui secum ducat aliquem presbiterum, illi presbitero in presbiterio in prædicta capella divinum officium celebrare licebit, presbitero de Iseigneio absente, vel si præsens fuerit, consentiente, exceptis annualibus festis, et festivitatibus beatæ Virginis Mariæ, et festo Dedicationis ecclesiæ de Iseigneio. His enim diebus, ipse Robertus cum familia sua tenetur in

matre ecclesia de Iseigneio divinis adesse officiis. Si vero presbiter de Iseigneio in prædicta capella quandoque ministrare neglexerit, et memoratus Robertus inde capitulo Baiocensi conquestus fuerit, capitulum ipsum ejusdem presbiteri negligentiam convenienter emendabit. Hæc itaque prædicto Roberto de Fontaneio et hæredibus suis a domino Henrico, episcopo, et capitulo Baiocensi, in perpetuum sunt concessa ; et ad hæc, quæ prædicta sunt, firmiter observanda idem Robertus se juramento corporaliter præstito firmiter obligavit, et capitulum id ipsum fide data per manum interpositam observare concessit. Testibus : magistro Rannulfo, cancellario ; Willelmo, capellano de Ardreio ; Willelmo Cappadoc... ; Johanne de Coutun ; Heriberto de Agnellis ; Willelmo de Agnellis ; Roberto de Agnellis ; Thoma de Fontaneio ; Roberto de Iseingneio ; Petro filio Roberti ; et multis aliis.